DE

CYANOSI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE III. M. IUNII A. MDCCCXL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

AUGUSTUS JULIUS EHRHARDT

TH[illegible].

Opponentibus:

J. KLINGEBIEL, med. et chir. Dr.

O. SACHSE, med. et chir. Dr.

G. WIEGAND, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HAS

QUALESCUNQUE PAGELLAS

OFFERT

FILIUS.

INTRODUCTIO.

Vox »cyanosis« designat morbum, quo variae corporis partes, praesertim labia, genae, palpebrae, digiti extremi colore caeruleo, natura sanguinis perversa evocato, tinguntur. Quae quidem natura sanguinis perversa deformationibus et vitiis cordis, vasorum sanguiferorum majorum et pulmonum, quae sanguinem venosum cum arterioso misceri patiuntur, aut impediunt, quo minus sanguis venosus satis oxygenii ex aëre recipiat, excitatur.

Morbum eundem vocabula Cynopathia, Icterus violaceus, Caerulosis, morbus caeruleus, Cyanodermia, Dyshaematosis notant. Utrum medici temporum antiquissimorum morbum hunc cognoverint, non satis constat. Paracelsus quidem nomine Icteritia coelestina, seu cyanea

morbum describit, sed ejus definitio omni perspicuitate caret.

Cordis deformationes, in sanguinis circulationem vel mixtionem vim saepe perniciosissimam exserentes, quamvis varias, tamen omnes ex evolutione cordis impedita ortas, anatomia comparata comprobat. Qua enim edocemur, cor omnium organismorum, qui majore dignitate gaudent, praesertim vero hominum, dum embryoni inest, omnes evolutionis gradus percurrere. Cor simplicissimum, e. g. apud insecta normale, canalis est oblongus. Qua quidem forma etiam humani cordis evolutio incipit, rarissime vero hanc retinet, sicut alios evolutionis inferioris gradus, hic omittendos.

Hominis nati cor duobus atriis et ventriculis duobus praeditum invenitur, in quo vero vel inter atria vel inter ventriculos, vel inter utrumque septum deest, vel tandem septum aut inter atria aut inter ventriculos est perforatum, ita ut inter cor dextrum et sinistrum commercium pateat. Interdum foetus cor normali utitur formatione, sed post partum foramen ovale et ductus arteriosus Botalli non clauduntur. Foramen ovale hians minus periculi minatur, imo saepe sine ullo vitae detrimento sustinetur, nisi aliarum cordis partium vel vasorum majorum deformationes aut vitia adsint, vel accedant.

Nam valvula foraminis ovalis, impetu sanguinis atrii sinistri in foramen ovale apertum impulsa, hoc ita claudit, ut sanguis atrii dextri atrium sinistrum intrare nequeat. Imo si haec valvula vel septum omnino deficit, vita servari potest. Nam in museo anatomico-pathologico Vindobonensi cor feminae praeparatum asservatur, cui septum atriorum omnino deest, quamvis haec femina vitam, interdum tantum molestiis exiguis vexatam, usque ad annum quinquagesimum egerat.

Quod attinet ad vasorum majorum sanguiferorum originem irregularem et vitia, quibuscum deformatio cordis interdum conjuncta esse potest, nonnunquam arteria pulmonalis simul cum aorta ex ventriculo dextro provenit, vel arteria pulmonalis ex ventriculo sinistro, aorta vero ex ventriculo dextro oritur, ita ut circulus sanguinis minor plane a majore sit disjunctus. Interdum arteria pulmonalis aortae soboles est, vel aorta in arteriam pulmonalem hiat, vel arteria pulmonalis coarctata aut penitus clausa est, quo efficitur, ut sanguis venosus vel ex parte, vel omnino in pulmones effundi nequeat, itaque impetum in ductum arteriosum, aut in foramen ovale faciat talem, ut vel alterutra, vel utraque pars non obturetur.

Vitia cordis, vasorum majorum et pulmonum orga-

nica, e. g. dilatationes, ossificationes, coarctationes, indurationes, concretiones, simulac circuitum sanguinis et respirationem laedunt, cyanoseos symptomata evocare valent. Praeterea per vitam seriorem interdum septum atriorum aut ventriculorum rumpitur, id quod modo impedimento circulationis, modo coarctationibus, ossificationibus, imo motibus animi vehementibus efficitur, et saepius in ventriculo sinistro observatur, quod hic majorem ad sanguinem expellendum vim exercere debet. Cyanosis, tali ruptura orta, mortem post breve tempus infert, eo magis, quod cordis parenchyma plerumque carditide chronica jam antea fuit degeneratum et marcidum. Sed cor sanum tali modo etiam rumpi posse Paviae asservatum comprobat cor hominis, cujus ventriculus dexter motu vehementissimo animi fuit ruptus, quamvis cor praeterea statum irregularem non praebuit.

Quaecunque sunt deformationes et vitia, si sanguinem arteriosum cum venoso misceri patiuntur, vel functiones cordis et pulmonum normales debilitant, vel impediunt, nisi jam embryoni mortem intulerint, cyanoseos causas offerunt.

Quum causae cyanosin excitantes aut vitia sint cordis et vasorum majorum, aut pulmonum, cyanosis dividitur in cardiacam et pulmonalem. Cyanosis cardiaca,

cujus causae vel sunt congenitae, vel acquisitae, dividitur in congenitam et acquisitam. Cyanosis pulmonalis semper est morbus acquisitus.

SYMPTOMATA ET DECURSUS CYANOSEOS.

Quo majores cordis deformationes, eo prius post partum cyanoseos cardiacae symptomata animadvertuntur, et eo citius morbus mortem inducit. Interdum infantes statim post partum colore caeruleo, nunquam evanescente, imbuti cernuntur; praecipue partium supra dictarum calorem naturalem valde alienatum ac diminutum invenimus, quam ob rem omnes aegroti frigore infestantur. Color caeruleus suctione, fletu, clamore adaugetur, respiratio est difficilis. Nonnulli, dum nascuntur, et primo tempore post partum perpetuo et vehementer, deinde vero rarius clamant, frigent et cetera cyanoseos symptomata praebent, sed interdum tantum colorem caeruleum ostendunt. Post dies aliquot, respiratione magis impedita et accelerata, cute colore livido ubique obducta, suffocativam et convulsivam mortem obeunt. Interea infantes vitam, quamquam simul cum partu cyanoseos symptomata in

iis animadvertuntur, usque ad diem decimum vel duodecimum degunt, nec raro haec symptomata demum post annum primum vel tertium prodeunt. In his initio color caeruleus non perpetuo animadvertitur, serius vero causis, quibus cordis actiones accelerantur aut instigantur, cursu, animi motu, color caeruleus efficitur, ad quem dyspnoëa et angor accedunt. Hunc demum colorem, qui sensim per longius tempus persistit, suffocatio, respiratio accelerata, difficilis, motus cordis vehementes et irregulares, tandem convulsiones comitantur. Saepe paroxysmus talis deliquio animi finitur, ex quo infans inspiratione longa et profunda expergiscitur. Qui paroxysmi deinde redeunt, postremo pluries per diem, quoties cordis actiones incitamento quodam augentur. Infantes, quos tunc color caeruleus nunquam penitus relinquit, frigent, motus timent, inertes sunt atque morosi, motu leni fatigantur, majore anhelant, appetitus interdum satis bonus, secretiones normales omnes diminutae. Dentitione et pubertate incipiente morbus augetur. Post coenam pejus aegroti se habent, tempestas frigida nocet, calida levat. Sensim facies tumescit, motus minimi suffocationem, anxietatem, vertiginem, deliquium animi evocant. Corporis incrementum quidem regulare, sed extremitates superiores saepe ita sunt elongatae, ut haud raro digiti extremi ad

genua usque porrigantur; phalanges unguium formam latam, crassam et globosam ostendunt, ungues sunt adunci. Praeterea animadvertuntur haemorrhagiae e variis corporis partibus, e naribus, ore etc. Sanguis effusus nimis liquidus, colore violaceo, vel nigrescente, sero abundans, fibrina et albumine carens, difficulter coagulat. Itaque functiones omnes, quas sanguinis vis juvat atque sustentat, ut respiratio, digestio, functiones nervorum et musculorum, debilitantur ac turbantur. Aegroti tandem vel suffocati, vel debilitati et penitus exhausti moriuntur, postquam totius corporis nutritio est sublata, et saepe oedema pedum accessit. Periculum iis afferunt maximum febres et evolutionis corporis periodi, quamobrem plurimi pubertate incipiente, nisi dentitionis tempore morbo sint consumti, mortem obeunt. Exempla tamen probant, licet perpauca, tales aegrotos vitam usque ad annum quinquagesimum traxisse. Vitia cordis et vasorum majorum organica tam per se cyanosin evocant, quam malum, postquam ad vitia primae formationis accesserunt, valde adaugent. Ruptura et vulneribus cordis penetrantibus subito cyanoseos symptomata excitantur, quae post breve tempus mors sequitur.

Cyanoseos pulmonalis tanta frequentia est, quanta cyanoseos cardiacae. Aegroti hoc morbo laborantes sensu

ponderis magni et oppressionis in pectore cruciantur, respiratio est brevis, accelerata, anhelosa, musculorum abdominis et diaphragmatis ope magis, quam thorace perficitur. Percussio sonum praebet obtusum, qui, prout pulmones magis minusve sunt occupati, aut circumscriptus est, aut diffusus per majorem pulmonum partem. Ubi sonus est obtusus, respiratorium murmur aut penitus deest, aut difficile auditu. Aegroti mucum exspuunt vitreum, vel purulentum, sanguine nigro mixtum. In genis, labiis, ore livor, qui motu vehementiore et paroxysmis augetur. Extremitates sunt frigidae, cutis sicca, alvus obstructa, urina fusca, vel fusco-rubra, ejus copia diminuta, pulsus tranquillus, lassitudo magna, defatigatio ex motu minimo, majore paroxysmus cum suffocatione evocatur. Cyanoseos pulmonalis decursus est chronicus. Tempore aestivo, quo organa digestionis facilius afficiuntur et cutis secretio aucta est, symptomata mitiora, hieme vehementiora sunt.

AETIOLOGIA.

Deformitates cordis, quibus separatio cordis dextri a sinistro vel penitus vel ex parte suspenditur, sanguinis

venosi cum sanguine arterioso mixtionem admittunt. Itaque sanguis arteriosus venoso similior, simul nimis liquidus est. Qua sanguinis arteriosi natura color caeruleus producitur, et calor diminuitur. Nec omittendum, his deformationibus functiones cordis magnopere turbari atque impediri, quo fit, ut sanguis per atria vel ventriculos modo inaequali et irregulari circumferatur. Si tum sanguis majore vi in cor impellitur, facile in parte cordis quadam abunde accumulatur, quo deinde paroxysmus cum palpitatione cordis vehementi, cum suffocatione, oppressione, angore, spasmo, interdum cum tussi et sputis cruentis excitatur. Spasmus deinde cum pulmonibus communicatur, quod sanguinis circulatio in pulmonibus hoc cordis spasmo turbatur. Quam ob rem respiratio irregularis, vehemens in paroxysmo. Postremo cor contentione, qua sanguinem largius accumulatum expellere conatur, fatigatum, omnino functiones exercere desinit et subsistit. Tunc, respiratione quoque sublata, inter deliquium animi, quod tali paroxysmo evocatur, cordis vires iterum colliguntur et aegrotus sensim recreatur. Circulatione sanguinis impedita venae nimia sanguinis quantitate implentur, et sanguis principio carbonico abundans, oxygenii inops, colorem caeruleum producit. Quum cor, cui vitia primae formationis insident, initio saltem plerum-

que sit sanum, dum ejus vires vitiis organicis semper sunt debilitatae, aegroti vitiis primae formationis cordis laborantes, nisi tanta fuerint, ut vel embryonis abortum, vel statim post partum mortem effecerint, vitam per longius tempus degere possunt, quam aegroti vitiis organicis affecti. Contentionibus vero, quibus cor deformatum est obnoxium, vehementibus saepe carditis excitatur, cujus exitu vario non raro ad illas deformationes accedunt vitia organica, ut induratio, ossificatio, dilatatio, coarctatio etc., quibus morbi vehementia major inducitur.

Cyanosis pulmonalis non est morbus primarius, sed secundarius. Semper inflammatio parenchymatis pulmonum, plerumque chronica, antecessit. Itaque pulmones saepe cum pleura concreverunt. Parenchymatis pulmonum superficies externa fuscum vel purpureum colorem praebet, simul est parenchyma induratum, digito prementi non cedit, non crepitat, si dissecatur. Praeterea inveniuntur liquores effusi, bronchia muco impleta, eorum membrana mucosa fusco-rubra, cor saepe dilatatum, cor dextrum sanguine oppletum.

DIAGNOSIS.

Signum pathognomonicum praecipuum est livor, ad quem sensus frigoris, lassitudo et defatigatio, labores exiguos subsequens, egestiones tardae, paroxysmi contentionibus evocati, etc. accedunt. Cyanosis cardiaca habitu peculiari foetali, livore, affectionibus pectoris vel deficientibus vel exiguis, dum aegroti quiescunt, cognoscitur. Tandem exploratione nec turbationes, nec vitia pulmonum animadvertuntur. Cyanosis cardiaca acquisita origine distinguitur a congenita. Cyanosis pulmonalis, quamvis statim post partum existere potest, tamen facile a cyanosi cardiaca congenita distinguitur tussi et dyspnoea vera, quae signa a cyanosi cardiaca absunt, et in cyanosi pulmonali statim exordio exstant.

Sunt quidem alii morbi, qui hunc colorem caeruleum tegumentorum communium offerunt, sed quum in his color ille non tam constans et perpetuus inveniatur, jure a cyanosi sunt sejungendi et ad morbos, qui similitudinem quandam externam praebent, nequaquam vero eadem utuntur indole, referendi. Itaque color caeruleus in asphyxiis, in apoplexia, in scorbuto observatur, nec a parotitide, si glandularum tumores vasa majora

ita comprimunt, ut sanguis impediatur, quominus copia ejus sufficiens e capitis vasis refluat, nec a multis pulmonum et cordis morbis abest.

Venena quaedam, inprimis narcotica, ita in systema nervorum agunt, ut atonia paralytica pulmonum excitetur. Quae atonia functiones pulmonum impedit et ita laedit, ut sanguis venosus oxygenii quantitatem debitam ex aëre recipere nequeat, quamobrem, ut in cyanosi, perversa sanguinis indole tegumenta communia illo livore tinguntur. Ante omnia remedia autem argentum nitricum hunc colorem efficere solet. Quem effectum praesertim observamus, si argentum nitricum per longius temporis spatium, e. g. ad epilepsiam sanandam, adhibuimus. Qui morbi, quum praeter illum lividum communium tegumentorum colorem multa alia peculiaria signa exhibeant, sane cum cyanosi confundi nequeunt.

Majorem cum cyanosi similitudinem offert asthma. Nam in hoc morbo non solum ille color animadvertitur, sed etiam alia cyanoseos symptomata inveniuntur, e. g. sensus plenitatis, oppressionis et pulsationis in pectore, angor, inquies, respiratio difficilis, impedita, interrupta, palpitatio cordis vehemens, extremitates frigidae. Quae omnia symptomata motu, tam corporis quam animi, et tempestate frigida augentur, calida vero levantur. Simi-

litudo inter utrumque morbum eo etiam augetur, quod signis illis paroxysmus evocatus saepe deliquium animi finitur. Paroxysmum talem, si aegrotus expergiscitur, tussis cum sputis cruentis subsequitur. Praeterea saepe haemorrhagiae accedunt, praecipue epistaxis. Asthma vel cum alio pectoris morbo non conjunctum est, vel morbus alius simul exstat, qui causam asthmatis offerre potest. At vero sensus oppressionis pectoris cum respiratione impedita, morbo pectoris quodam evocatus, tunc tantum asthma nominari debet, si morbo pulmonum ipso respiratio non impeditur, sed si antea spasmus gignitur, qui deinde signa illa excitat. Asthma verum cognoscitur praecipue sensu peculiari, constringente pectoris, spasmodicum morbum inprimis designante, et sono sibilante laryngis. Deinde praeter symptomata, quae impedita respiratione evocantur, etiam signa existunt, quae cyanosin deficiunt et in universum morbum spasmodicum designant, e. g. pulsus intermittens et spasmodicus, contractus, urinae color pallidus et aqueus in paroxysmis, postquam paroxysmus evanuit, fuscus. Si urina in vase asservatur, plerumque sedimentum demittit. Tandem ille color caeruleus non symptoma asthmatis constans et perpetuum est, sed saepe colori pallido cedit.

Quum tali morbo, praesertim si per longius tempus

aegrotum infestat, functiones pulmonum et cordis laedantur ac turbentur, saepe phthisis pulmonum, vel, quod saepius accidit, hydrothorax, imo vitia organica cordis et vasorum majorum gignuntur. Si vero his vitiis organicis cyanosis producitur et asthma simul cum cyanosi adest, diagnosis utriusque morbi difficilior redditur.

Ne cyanosis pulmonalis confundatur cum phthisi pulmonum, spectanda est febris hectica, cum phthisi pulmonum conjuncta, nec omittenda signa, quae auscultatio et percussio praebent; ne cum hydrothorace commutetur, tam soni, percussione producti, qui vario corporis situ variat, quam liquoris effusi ratio habenda est. A pneumonia distinguitur rhoncho crepitante et febri, quibuscum pneumonia est conjuncta, a cyanosi cardiaca acquisita origine, decursu et exploratione pectoris.

EXITUS ET PROGNOSIS.

Cyanosis cardiaca sanari nequit, quamvis aegrotorum cyanoseos gradu minore laborantium vita interdum ad annum quadragesimum, imo quinquagesimum sustineri potest. Quo graviora primae formationis vitia, eo cele-

rius post partum exitus irruit lethalis. Minus detrimenti affert foramen ovale hians. Num valvula atrii sinistri contractione hujus atrii foramen claudere videtur. Imo, si valvula nimis est exigua, vel penitus deficit, non semper cyanosis oritur, quod sanguis atrii sinistri impedit, quominus sanguinis atrii dextri atrium sinistrum intret. Nam quum sanguinis arteriosi atrii sinistri impulsus sanguinis impulsum atrii dextri superet, sanguis atrii dextri atrium sinistrum intrare nequit, vel, quod cogitare licet, sanguinis atrii sinistri quantitas exigua in atrium dextrum effunditur. Quae quantitas sanguinis arteriosi vero cyanosin evocare non valet, quod hoc modo sanguis arteriosus purus per totum corpus circumagitur. Eadem ratione intelligi potest, cur ventriculi hominis adulti, cujus cor praeparatum Edini servatur, inter se communicantes mortem non adduxerint. Simulac vero vitium aliud simul adest, quod sanguinis circulationem impedit, e. g. coarctatio arteriae pulmonalis, cyanosis oritur.

Maximum vitae periculum minantur morbi dynamici et organici cordis, nec non periodi evolutionis corporis: dentitio, pubertas. Tempestates majorem vim in morbum exserunt. Praesertim frigus aegrotis est perniciosum. Ceterum mors inducitur haemorrhagiis, morbis aliis accedentibus, rubeolis, dysenteriis, saepissime vero suffo-

catione. Jam in decursu morbi priore paroxysmi excitantur, in quibus respiratio brevis et accelerata, livor et cordis palpitatio vehemens animadvertuntur. Sensim paroxysmi frequentiores redeunt, non solum contentionibus, sed etiam tempestate frigida vehementiores, quibus tandem aegroti succumbunt. Nec minus cyanoseos pulmonalis exitus est lethalis. Mors semper suffocatione inducitur, dum sanguinis venosi mutatio in arteriosum, magis magisque sensim turbata, tandem omnino deletur. Respiratio paulatim interrumpitur, caput ob sanguinis congestionem calidum est, extremitates frigidae, donec tandem respiratio omnino desinit. Symptomatum vehementia, morbi propagatio, aegroti aetas etc. in prognosin influunt, ita ut curatione bona, nisi morbus gradum maximum adeptus sit, vita per aliquod tempus servetur. Si jam stupor, respiratio inaequalis, praesertim vero cordis alia affectio, e. g. dilatatio accessit, mors non amplius arceri potest.

CURATIO.

Ad curationem radicalem cyanoseos cardiacae congenitae efficiendam, multa sunt proposita, quae, quamvis

non omnia vitia cordis, omnium autem minime vitia primae formationis removere possunt, tamen omnino spernenda non sunt. Omnia spectant vel ad sanguinis quantitatem diminuendam, vel ad alia organa deducendam, ut cor sanguine quam maxime liberatum tam functiones suas facilius perficere, quam conditiones irregulares quasdam tollere possit. Status anomali, qui tali modo sanari videntur, sunt foramen ovale et ductus arteriosus Botalli, si tempore certo post partum non clauduntur. Nam si e. g. arteria pulmonalis est coarctata, vel aegrotus sanguine abundat, quamobrem, sanguine in corde dextro accumulato, et majore vi in foramen ovale et ductum arteriosum Botalli propulso, vel hic vel illud vel ambo sanguine permeante semper ita extenduntur, ut concrescere nequeant, sanguis, detracta quantitate sufficiente, per arteriam pulmonalem effundi, et foramen ovale et ductus arteriosus Botalli, quibus non amplius opus est, ad sanguinem e corde dextro evacuandum, concrescere possunt. Itaque neonatis, habitu plethorico et hujus morbi signis laborantibus, statim post partum vel ex funiculo umbilicali, vel venaesectione, vel sanguisugis tantam sanguinis quantitatem detrahi suaserunt, quanta opus videatur. Alii jusserunt, neonatos irritari et perpetuo ita turbari, ut nec quiescant nec dormiant, sed semper clament

et fletus moveant. Tali modo majorem sanguinis quantitatem in pulmones agi putant, ergo cor quam maxime sanguine exonerari et illas deformationes removeri. Si vero cogitamus, congestionibus sanguinis ad pulmones facile suffocationes oriri, quae vitae aegroti periculum minantur, facile est intellectu, remedia talia saepe plus nocere quam prodesse.

Quum itaque curatione radicali nec vitia primae formationis, nec vitia organica tolli possint, nec tandem sanatio foraminis ovalis et ductus arteriosi Botalli hiantis satis sit comprobata, spectandum est, ut curatione palliativa aegrotorum vitam, quamdiu fieri possit, servemus.

Ante omnia cordis actiones temperandae et retardandae sunt, ut paroxysmos impediamus. Motus igitur omnes activi nocent, passivi vero, praesertim in aëre puro et sub dio prosunt, e. g. vectio, oscillatio. Alimenta sint nutrientia, parca, haud incitantia, praecipue potus spirituosi rejiciendi. Quum aegroti perpetuo frigore crucientur, eorum vestimenta sint calida, caveant tempestatem frigidam. Aër in quo versantur, sit purus, nullis evaporationibus aut miasmatibus infectus, temperatura domicilii calida et sicca. Vere et autumno aegroti praecipue caveant, ne refrigerio se committant. Sanguinis mixtio perversa corrigenda et quam maxime ad normam redu-

cenda. Quae sanguinis mixtio, quum functionibus pulmonum turbatis efficiatur, aliorum organorum, quae functionibus similibus provident, actiones augendae sunt, e. g. cutis, renum, hepatis. Ut cutis functiones incitentur, balnea calida adhibenda, quibus, dum sanguinis circulatio peripherica augetur, cor exoneratur. Plurimum interest, ut hepatis actiones incitentur; praesertim si alvus obstructa est, quae molestias omnes auget, electuario lenitivo, cremore tartari cum rheo, cum jalapa, vel extracto saponariae utendum est. Renum actiones, postquam hydrops ad cyanosin accessit, evehimus digitali, scilla cum liquore kali acetici. Paroxysmi interdum apparentes sunt arcendi et mitigandi, ne aegroti mortem suffocativam obeant. Aegroti itaque utantur nutrimento jam supra commemorato, caveant motus, nisi leviores. Aere calido et aperto fruantur et, si fieri potest, rure vitam degant. Ad sanguinis circulationem retardandam digitalis parvae doses per longum temporis spatium adhibitae prosunt. Sin paroxysmus suffocativus apparet cum congestionibus ad cerebrum vel ad pulmones, hirudines applicandae aut venaesectio instituenda, deinde stimulantia tam interna quam externa adhibenda sunt, quamobrem vapores naribus admoveantur tincturae castorei, liquoris ammonii succinici, sinapismi pectori et musculo deltoideo imponantur, nec

frictiones thoracis omittantur, nec clysmata leniter evacuantia et pediluvia derivantia negligantur. In neonatis symptomata cyanoseos, quae sunt clamores interrupti, frigus, color modo caeruleus, modo pallidus, suffocationes, sugendi fastidium, non praetermittenda, sed frictionibus, balneis calidis aromaticis, dosibus syrupi rhei, ad meconium quam celerrime evacuandum, et necessitate urgente hirudine una, ad regionem cordis applicanda, sunt auferenda. Quum denique periodi evolutionis vitae aegrotorum maximum periculum minentur, quibus superatis aegroti saepe vitam usque ad annum quadragesimum degant, maxime spectandum est, ut tales periodos partim retardemus, partim postquam apparuerunt, medici praeceptis aegroti obtemperent.

VITA.

Ego Augustus Julius Ehrhardt natus sum Warzae in Gothanis anno MDCCCXII patre Joa. Daniel Ehrhardt, verbi divini ministro, matre Sophia e gente Lossius. Confessioni evangelicae sum addictus. Primis litterarum rudimentis domi imbutus annos duodecim natus in gymnasium Gothanum, cui praefuit Ill. Doering, receptus sum. Gymnasii professoribus Ill. Ill. Kries, Schulz, Uckert, Rost, Wuestemann, Welker intimas, quas habeo, gratias ago. Anno MDCCCXXXIV testimonio maturitatis munitus Jenam me contuli, theologiae

operam daturus, ubi in civium academicorum numerum receptus, has lectiones audivi: Ill. Mirbt de logice et psychologia; Ill. Reinhold de metaphysice; Ill. Stickel de Jesaïa, Psalmis, Jobo; Ill. Schott de epistola ad Romanos, ad Corinthos, ad Ephesos; Ill. Schwarz de ethice.

Jena simul cum theologia relicta, ad medicinam me converti et universitates litterarias Halensem, Berolinensem frequentavi, ubi his interfui scholis: Ill. Schlechtendal de botanice; Ill. d'Alton de anatomia, de arte cadavera rite secandi, de physiologia; Ill. Schweigger de physice et chemia; Ill. Friedlaender de materia medica et arte formulas conscribendi; Ill. Krukenberg de pathologia et therapia tam generali quam speciali; Ill. Niemeyer de arte obstetricia; Ill. Blasius de chirurgia tam generali quam speciali, de arte fascias adplicandi, de akiurgia; Ill. Hecker de historia medicinae.

Scholas practicas frequentavi tam medicas, quam chirurgicas et obstetricias Ill. Ill. **Krukenberg, Blasius, Kranichfeld, Barez, Kluge.**

Quibus omnibus viris Illustrissimis et Celeberrimis, maximas, quas possum, gratias habeo, semperque habebo.

THESES.

1. Sunt graviditatis signa certa.
2. Perforatoria trepaniformia ceteris praeferenda sunt.
3. Sublata causa, non semper tollitur effectus.
4. Methodus optima, hydrophobiam cavendi, illa est, qua tam excisione quam liquore kali caustici vulnus purgatur.
5. Variolae et Varicellae unus idemque morbus.